

XI.

Principia Theologiæ quod attinet non illa sunt vel ratio vel λογικὰ ἐπισημείωσις vel παρατήρησις vel quæ alibi valent κριτήρια, quæ his nec adhiberi debent nec possunt: sed eæ duntaxat φανερώσεως patefactiones vel revelationes quæ continentur verbo scripto.

XII.

Valeat hic numerus & cumulus ille Principiorum quem aggregat Iesuita Hispanus (Gregorius de Valentia) qui præter verbum DEI scriptum disputat. 1. quest. 1. punct. 5. etiam autoritatem traditionum Apostolicarum sive verbum quod vocant non scriptum: autoritatem item summorum Pontificum, Conciliorum Oecumenicorum: consensum doctorum Ecclesiasticorum: communem fidelium consensum, veritatem denique naturaliter certam & evidentem pro principijs vult agnosci.

XIII.

Quod nos tuemur Unicum vel Canonicum est vel Apocryphum. Canonicum nominamus quod pro Canone aut Regula fidei extra omnem controversiam recipitur: quales sunt libri illi Veteris & Novi Testamenti de quorum autoritate nunquam Ecclesia dubitavit. Apocryphum verò non eiusdem pariter dignitatis est & ponderis, cum de autoribus non certo constet nec inde quæ sunt fidei dogmata ἀναποδείκτως probari queant: tamen si etiam suum præstet Usum, si ve in moribus si ve in alijs ad pietatem conferentibus.

XIV.

De numero si quæras Canonicorum librorum, communi Ecclesiæ consensu juxta Ebraeos 24, juxta alios

A. 3;

alios